

est, Quæstorem, ea in ararium (1) Regium intulit.  
 Tunc Patriarcham Quæstor ad Regem deduxit, cu-  
 jus manum osculatus est, juxta beneficium, quod ha-  
 bent Patriarchæ jam inde a tempore Sultani Meche-  
 metis, primi Regis qui Urbem cepit: quo beneficio  
 licet cuicumque Patriarchæ, Regiam manum deoscu-  
 lari. Tunc decrevit Rex, & accepit ab ipso *Baration*,  
 [ idest, *Breve*, seu Diploma (2) Patriarchatus: ]  
 ἔζη ὄρισεν ὁ Βασιλεὺς, καὶ ἔλαβε παρατίον ἀπ' αὐτοῦ:  
 quo tradebatur ei omnis auctoritas & potestas in om-  
 nes pios Christianos, tum Ecclesiasticos, tum Sæcu-  
 lanes, & ut agere posset secundum Legem & Fidem.  
 ipsius, ita ut nemo impedimentum ei inferret. Im-  
 perabat tunc Sultanus Selimes, cujus antea mentio-  
 nem fecimus. Accepto itaque Regio Baratio [ *Diplo-  
 mate* ] Patriarcha fedit pro Tribunali, atque uti Oe-  
 cumenicus Patriarcha, omnibus jus dicere cœpit, di-  
 xitque, tanquam Christi imitator: non enim ad ul-  
 lius personam respiciebat, sed justas sententias profe-  
 rebat. Hinc lætitia homines afficiuntur, gaudentque  
 de ejus sanctitate: celebrant Deum & laudibus effe-  
 runt pii omnes, juvenes & senes, quod ipsis bonum  
 & justum Pastorem dederit. Caterum divino zelo  
 commotus, emendationem Ecclesia Christi, ut ejus  
 imitator, sibi suscepit, ut nempe educeret & radici-  
 bus evelleret malam illam pœnisque dignam arborem,  
 utque simul ramos & truncum excideret, ipsamque  
 adeo radicem extraheret, & in ignem conjiciens, ita  
 combureret, ut plane non amplius conspiceretur, nec  
 posthac iterum plantaretur. Loquor de nefario & dia-  
 bolicò Simonia (3) vitio. Itaque in Sacro Tribuna-  
 li fedit, ut communis dominus orbis terrarum, ge-  
 stans

(1) Turcicè, χαζανά. In textu: εἰς τὸν χαζανάν τῆς βασιλείας.

(2) Crusus: Tunc Confirmationem a Rege accepit, laici. Nullo sensu  
 παρατίον, vox est Turcico Arabica; ex ἄλλῃ, Baraat, deducta, quæ Di-  
 ploma, Regium Breve significat.

(3) Quicous Tom. 1. Orient. Chr. pag. 325. Mox Simonia penitus abolen-  
 de causa Synodum habuit, cujus actuum summam Malaxus refert pag. 179.  
 et seqq.